Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 18. Decembris.

M. ALEXANDRO PETRO MATTOT, Doctore Medico, Præside.

An qui facilè lacrymantur, ingeniosi?

HOMO Constat ex corpore, & animâ: quæ duo multùm à se discrepant. Hæc immortalis omnisque expers materiæ cum corpore mirè coit, quod suo quasi numine, & præsentiâ movet, & impellit: quæcumque in humano corpore eliciuntur actiones, huic soli acceptæ referendæ sunt; frustrà ad varias animæ facultates, omnium operationum principia confugias; unica est anima, quæ suis instructa organis omnia obit vitæ munia, in vasis nutritiis alimentum universis nutrix provida cudit, paratque partibus, paratum arteriarum ope defert, quo partes affatim nutriantur, alimentumque capescant; in renibus serum segregat à sanguine, in cerebro apprehendit, intelligit, & recordatur: qui animam cum temperamento confundunt, de eâ censent humiliùs, ipsi est cœlestis origo, corpore soluta, sui quidem est juris, corpori verò alligata, vices & vicissitudines subit ergastuli, compedibus corporis quasi involuta, morem gerit materiei, & spirituum corpusculorum alioquin tenuissimorum, atomorum si velis, faventibus auxiliis, tota in toto, & tota in quâlibet parte, pro perfectiori, aut imperfectiori organorum conformatione, & justâ, vel indebitâ temperiei dispositione, alacriter, aut desidiosè operatur; unde mirabilis animæ cum corpore agendi modus, quod absque alterius substantiæ interventu, intimè conjungatur corpori, vel minimas ipsius informet particulas, quibus ita copulatur, ut suos sibi vicissim affectus communicent, adeo ut alterutro laborante, utrumque doleat necessè sit, ac vicissim alterutrum alterius integritate vigeat; altera sic alterius poscit opem pars, & conjurat amicè, unde mens sana in corpore sano: cumque sibi mutuò opitulentur corpus & anima, illudque ad agendum organa suppeditet, pro diversâ horumce organorum dispositione, eam diversi-modè agere necessùm est, unde expeditiùs in his, hebetiùs in illis operatur: felices qui debitam cerebri structuram, æquabilem humorum temperiem nacti sunt, iis facilis apprehensio, felicius judicium, felicissimus discursus, unde mens ad quælibet agenda expeditior, unde ingeniosior.

INGENII fælicitas, fælicitas maxima: unusquisque illud in suas trahit partes. Stolidus nullo plaudente sibi gratulatur, seque nullum ingeniosiorem reperiri posse non minus audacter quàm ridiculè interdum profitetur, adeo sibi student homines! tantùmque in rebus inane. Cave interim ne se cuilibet ingeniosum professo, statim fidem adhibeas, quibusdam etenim occurras ut plurimùm hominibus, qui adulterinâ verborum lenitate, nec non corporis præstantiâ pollentes, ingeniosos ementiri videbuntur, umbratiles quosdam addendo sermoni lepores, ad quos si attendas, nihil esse præter verba, vocesque fateberis; ingenium nobis à naturâ non ab arte datum est; longâ equidem experientiâ, longo usu, improbo labore, assiduâ scientiarum indagatione, politur, explicatur, non conceditur. Ea tamen est hominis superbia ut cœlum stultitiâ petat, suique præco sit perpetuus, in arte quam profitetur, quod temeritatis argumentum, præstantior haberi cupit, aliena indesinenter despiciens, sua verò dicta, facta ve probans continuò: Qui tanta de se prædicat, multas ad ingenium requiri dotes non novit, quæ ipsius sint comites individuæ: desideratur sanguinis debita temperies, maxima spirituum elaboratio, cerebri mollities undique à spiritibus permeabilis, ut objectorum species citiùs, faciliùsque cerebro imprimantur, maxima spirituum copia, qui per nervorum tubulos jugiter decurrant, nervorum fibrillarumque tenuitas, quæ motui sit aptissima: insuper quinque sensuum laudabilis affectio, qui sint fidelissimi operationum, quarum anima debet esse conscia, internuntii: apud eum qui superbiam habet adjunctam, facilique (quod præcipuum est) laborat lacrymarum profluvio, hæ dotes desiderantur: unde ingenii hebetioris censendus.

OCULUS palpebris tanquam velis obducitur, quarum superior sæpe nictitat, ut humore suo globum oculi identidem perfundat, eaque sola est mobilis: duplici musculo instruitur: quorum unus palpebram attollit, alter deprimit. In hos musculos tum quinti, tum sexti paris nervuli sparguntur: illique juxta varios animi motus palpebras movent: ex oculis lacrymæ ut mœroris nonnunquam lætitiæ, sic & hebetioris ingenii certi stillant indices; harum originem quidam ex cerebro repetunt, at malè: nullum enim cerebrum inter, & oculos foramen commune, nervi cæteraque vasa oculorum foramina exactè occludunt; aliunde ipsarum profluvium repetendum venit: in exterioris anguli parte superiori conglomerata latet glandula, in varios veluti lobulos discerpta; hæc emittit vasa excretoria, quæ tunicam interiorem palpebræ variis foraminulis non longè à ciliis pertundunt, huic glandulæ altera subjacet mole minor, è quâ nascuntur octo vasa, quæ in tunicam adnatam inseruntur, ex his vasis humor stillat, cum parcior, non deprehenditur, sed ubi cum impetu prorumpit, lacrymæ dicuntur: quæ verò in interiore angulo sita est caruncula, glandula lacrymalis impropriè nuncupatur, est sacculus quidam membranosus, in quem puncta lacrymalia ex duobus aut tribus vasis palpebræ interiori insertis efformata, effundunt liquorem oculos alluentem, qui inde in fletu stillat in nasum per canalem in os pervium; insuper observantur in ciliorum radicibus innumeræ glandulæ sub flavo colore conspicuæ, quæ in coronæ modum disponuntur; quælibet glandula in sui medio tubulum profert, qui extrorsùm aperitur inter radices pilorum, è quibus cilia componuntur: lacrymæ modicè fluentes non vilioris momenti, oculorum siccitati obsistunt, inserviunt corneæ pellucidati, ast ubi frequentiores, pessimi existunt ominis.

LACRYMARUM materia sanguis; liquor non homogeneus, & simplex. Hunc bile, melancholiâ, pituitâ, & sanguine propriè dicto constare veteres existimant: recentiores verò quidam, spiritu, sulphure, sale, phlegmate, & capite mortuo: humorem frigidum, & humidum quem pituitam vocant materiam lacrymarum proximam censent antiqui, recentiores serum, phlegma vocatum; quod unà cum sanguine confusum motu circuitûs per arterias ad glandulas prædictas oculorum fertur, in quibus à reliquo sanguine separatur, non vi fermenti, sed solâ pororum cum seri particulis configuratione: nulla enim ope fermentorum in corpore transcolatio; frequentiores aut parciores fluunt lacrymæ, pro ut uberius aut parcius phlegma reperitur in sanguine, aut prout glandularum lympham asservantium tonus firmior, aut laxior: ut serum in sanguine luxurians, oculorum glandulas perfundit lacrymis uberioribus, sic ulteriùs ascendendo corticem cerebri quæ glandularum congeries, spiritibus transcolandis animalibus dicatarum sero inundat, unde spiritus qui intra glandulas sero madentes continentur, fiunt torpidi, lenti, & ad motum inhabiles, eòque segniores quò ex sanguine vappidiori generantur: quemadmodum enim ex uvarum succo immaturo non benefermentato, phlegmate nimis diluto, qui eliciuntur spiritus sunt admodum vappidi & inertes; sic ex quasi immaturo parumque fermentato sanguine, fiunt spiritus torpidi, & debiles: unde sua tardius obeunt munia, sive à cerebro in partes emittantur, sive à partibus in cerebrum remeent.

UT ex quolibet ligno non fit Mercurius, sic ex quolibet temperamento non elucescit ingenium; non omnibus ex meliori luto finxit præcordia Titan, nec cunctis ingeniosum nasci datum est: inter eos quos Natura nascentes iniquè respexit, non immeritò veniunt annumerandi qui facile lacrymantur; hinc non habent unde sibi gratulentur, gratiasque agant Naturæ, ii enim fusis & acubus tractandis longè aptiores nati sunt, quàm ad aliquid ingeniosè promendum. Sique ad rem propiùs attendas, id habent cum mulierculis commune (quarum sicut corporis, sic & ingenii minor est virtus) quod de re vel minimâ erumpant in lacrymas, quæ enim lacrymarum causa in mulieribus, eadem & in viris: âst unde amabo? ille lacrymarum in hoc ce sexu facilis profluxus, nisi ab ingenii imbecillitate, unde ingenii imbecillitas? nisi à nimis exuperante sero, molemque liquante sanguineam: nonne eodem jure infantes, & ætate provectiores ingenio carere dicendi sunt, quòd facile confugiant ad lacrymas, nec ab iis sibi possint temperare, propter serosi humoris scaturiginem, quâ totæ oculorum glandulæ, totaque cerebri substantia inebriantur, unde ipsorum anima minus apprehendit, meminit, & dijudicat, ut enim sua perbellè obeat vitæ munia certa quædam cerebri structura, dispositio, & temperies debet adesse, certa nervorum, fibrillarumque vis elastica, certus spirituum motus, ita ut soli temperatissimo ingenium videatur competere.

Non ergo qui facilè lacrymantur, ingeniosi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Paulus de Toullieu.
M. Joan. Bapt. Renatus Moreau, Professor Regius.
M. Nicolaus Pelletier.
M. Renatus Le Comte.
M. Franciscus Afforty.
M. Nicolaus Jouvancy.
M. Petrus Daquin, Medicus Regis perpetuò ordinarius.
M. Joannes Cordelle.
M. Petrus Yon.



Proponebat Lutetiæ JOANNES BAPTISTA GABRIEL FRESSANT, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1692.